



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De iræ. Cap. XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

enim sunt nobis molesta, quantumcūque studeamus in nobis esse pacifici: quòd si super hæc volumus ea nobis aggrauare per odij & rancoris conseruationem, citius obruemur quàm omnia resistendo vincamus. Potius iuxta Apostolum dare locum iræ debemus, & cedere, & non resistere malo, malum pro malo reddendo. Quia si velimus omnes opprimere quos aduersarios patimur, iterum alij insurgent, & nos prius succumbemus quàm omnes eliminemus. Qui seipsum per paciẽtiam vincit, omnes aduersarios superat. Bellabunt aduersum te, sed non praualebunt. Exemplum in sanctis martyribus. Odium aliquando generatur ex ira diu retenta.

*De ira.*

## CAP. XXX.

**I**RÆ triplex est qualitas. Prima subito & lexi facili causa moueri, vt ex leui facto vel verbo vel etiam ex vana suspitione. Aliquando etiam contra insensata commouemur, & irascimur brutis & lapidi & ligno vel calamo, & huiusmodi sine ratione. Secūda est vehementer inflammari. Aliquādo enim ira tantum in corde accenditur, quòd etiam facies inflammatur & deformatur. Aliquando etiam gestus & mores mobilitate quadam notabili agitantur, ex qua interior animi commotio demonstratur: vt sternutatio narium, pallor vel robor vultus, depressio palpebrarum, tremor labiorum, inquietudo totius corporis. Aliquando per verba erumpit vel clamores, per conuitia, contumelias, maledicta, & minas, periuria, & blasphemias. Aliquando quasi febris concutit corpus, vel quasi phrenesis mentē in furorem vertit. Aliquando manus mouet ad lædendum alium

alium vel seipsum : ita ut sibimet aliquando manus iniiciat , vel ea quæ parauerat , abiiciat vel destruat. Aliquando non sinit admittere quæ sibi vtilia sunt , ut cibum vel aliud commodum. Et multa huiusmodi ira operatur , & pacem cordis turbat , & rationem obnubilat , & memoriam cõfundit. Et sicut fumus hospitem *Simile.* de domo expellit : ita ira Spiritum sanctum qui super quietum quiescere tantummodo quærit , de cordis habitaculo excludit. Tertia qualitas iræ est , diuturna commotio , quæ aliquando rancorem fouet. Quidam habent de prima qualitate magis , & minus de secunda & tertia , quidam de secunda magis , quidam de tertia : quidam abundant duabus ipsarum : quidam verò omnibus tribus , & hi pessimi sunt. Ira contrariatur virtuti mansuetudinis , patientiæ , & mititatis , & dehonestat disciplinã morum : & facit inconsideratum , quia nec Deum timet nec hominem veretur. Ira etiam non habet misericordiam , nec humilitatem præterdit , & excæcat intellectum : & sicut fumus nocet oculis , sic ira cordi.

*De remediis iræ.*

CAP. XXXI.

**R**EMEDIA iræ. Primùm prouida præmeditatio illorum quæ possunt occurrere , tam verborum quàm factorum cõtrariorum : ut ante pugnam se homo ad patientiam præparet , & hostem quasi in insidijs paratus expectet : ut eo minus perturbent venientia quo fuerint antè præuisa. Qui enim debent in bello pugnare , ante pugnam solent artem pugnandi exercitãdo addiscere : ut ictus aduersarij sciãt scuto excipere , ne improvidi vulnerentur & superentur. Nam qui tunc primò vult armari

quando